

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Liber Florvm Beati Bernardi Abbatis Clarevallensis

Bernardus <Claraevallensis>

Augusta Vindelicorum, 1519

VD16 B 1923

Incipit liber III.

urn:nbn:de:bsz:31-62161

De doctrina prælatorum.	vij	De quorundam prælatorum crudeli ardore dominandi.	xx
Q. prælati deo obediendū sit.	ix	De suspitione & viciosa sollicitudine episcoporum.	xxi
Q. prælati contraria deo iubenti non est obediendum.	x	Q. considerato labore prælatorū minus placet honor eorum.	xxij
Q. nō inobedientia sed intentio inobedientis pensatur.	xi	De periculo prælationis.	xxiij
Q. piculose viuit absq; mgro.	xij	De acceptione personarū.	xxiij
Q. non sit vnus meriti socialiter viuere & vtiliter præesse	xij	Q. ira & nimia pietas subuertunt iudicium	xxv
Quō prælati vel prædicatores inuitati a deo ad instruendas animas.	xiiij	De diuersis gñibus ambiētū.	26
Quid cauendū sit prædicatori.	xv	De malis prælatis.	xxviij
Quomodo secure prædicat.	xvi	De prælatis qui sibi vsurpant prælationem.	xxviij
De puritate pontificum.	xvij	Q. persecutio discernit mercenariorios a pastoribus.	xxix
De clamore pauperum ad pontifices.	xvij	De iudicio prælatorum.	xxx
De supfluo habitu sacerdotū.	xix		

Incipit liber. III. Capitulū. I.

Quis sit dignus prælatione. In secunda parte epistolarū ad dominū papam Eugeniū.

Sirebus raritas precii facit: nil in ecclesia preciosius: nil ostentabilis bono vtiliq; pastore. Nempe rara avis est ista si proinde quis talis interdū reperiat: & occasio detur: confestim iniiciendę sunt manus. & totis viribus satagendū: ne qua vi: ne qua arte malicię fructuosa promotio valeat impediri. Super can. ser. xxx. Idoneus plane & dignus qui ponat custos animarū: quem pprie cura animę a cōmiliarū diligentia & sollicitudine nō impedit aut retardat: dum nō querit que sua sunt: neq; quod sibi vtile est: sed quod multis. Super cantica serm. x. Si forte ad regimen animarū assumit: qui se neq; ad congaudendum sentit promptū: neq; pronū ad condolendū: talis quidem alijs nō prodest: sibi obest plurimū. Porro sese ingerere quantę impudentię est: De colloquio symonis & Iesu. Speret ergo gradū minister qui dominicū pascere gregem satagit. Pascere vero tripliciter. exemplo conuersationis: verbo prædicationis: fructu orationis. Et pascere ad mandatū Christi vt nemo sibi hunc assumat honorem: sed qui vocatus fuerit a deo tanq; Aaron. Per eum nempe si quis.

H ij

Liber

introierit saluabit: & inueniet pascua. Sin vero ascenderit aliunde: plane fur est & latro. Iam qui per Christū sibi in sortem ministerij huius introisse videtur: de cætero quemadmodū ei seruiat, quemadmodū ministret, quemadmodū pascat tripliciter vt proximus gregem domini: sollicita secū examinatione discutiat. Indignus enim lacte & lana conuincit: si nō pascit oues: si nō vigilat in custodia gregis: iudiciū sibi manducat & bibit. Porro potestate accepta: malle in malo q̄ in bono uti, abuti est. In quibusdā dicitis. Hæc sunt quę pastori conueniunt. bonitas: disciplina: scientia. Bonitas attrahit. Disciplina corripit. Scientia pascit. Bonitas amabilem. Disciplina imitabilem. Scientia docibilem reddit.

¶ Cap. II. Quid sit necessarium prelato vt digne preesse possit. De colloquio Symonis & Iesu.

Quisputas est fidelis seruus & prudens: quem constituit dominus super familiā suā: vt det illis escam in tempore? Queris forte quā escam? Meus inquit cibus est: vt faciā voluntatem patris mei. Nimirū vita in voluntate eius. Qua quidem nec ipse pasci. nec alios pascere poterit: nisi sit fidelis & prudens: vt & eam intelligat & diligit. diligit autē fortiter. diligit & feruenter. Quando enim ignorantia excusare possit hominē: qui magistrū infantū. doctorem se insipientiū profitetur? Ignorans utiq̄ ignorabit: immo & multos ignorare faciens faciet ignorari. Quid enim periculi sit: vbi pastor nō inuenit pascua ignorat dux itineris viam: vicarius nescit domini voluntatem: ecclesia quotidie multipliciter & miserabiliter experit. Est enim vt secretissima sic & secretissima res voluntas dei: & occultū omnino consiliū. Vtilis proinde lectio: vtilis eruditio est. sed multo magis vnctio necessaria: quippe quę sola docet de omnibus. Vnde autē scire videtur quę sit voluntas dei bona & beneplacens & perfecta: qui nec pulsare nec querere nec petere consuevit. qui donec aliarum curā susciperet animarū: nunq̄ suę gessisse curā: sed in vano visus est eam accepisse? Nam de his quidem qui & vbi forte intelligunt domini voluntatem negligunt tamen. & quantū puaulent aduersari ei: qui dederunt manus morti. & cū inferno iniere foedus. vt odientes bonū adherentes malo: parati sint gratis consentire peccato: fouere maliciā: fauere iniquitati. qm̄ odibiles deo

& mundo execrabiles esse constat, melius est silere quā loqui. Sane nemo repente fit turpissimus. Et vix aliquis in hunc affectū nequitiae: nisi praua consuetudine p̄transiuit. Sunt enim debiles quidam & tepidi amatores iusticię. Sunt quibus aut vigor, aut feruor deest: aut fortassis vterq; cū vterq; sit sūmopere necessarius: inter p̄spera quippe & aduersa versanti. Vt enim vigoris esse dinoscitur: nequaquā cedere tribulationi, sed pro iusticia p̄secutionem viriliter sustinere: sic feruori videtur attribuendū: nullis capi voluptatibus: nullis illecebris eneruari. Quę quidem cū omni populo tamen specialiter ducibus populi sunt necessaria, ne forte in perniciem omniū eos errare contingat. Quid enim refert, qua occasione viam deserant veritatis: seducant ignari: sequant spontanei: compellant inuiti: seu attrahant illecti: quid interest dummodo eant in perditionem? Sic enim *Æuę* prudentia: *Adę* temperantia: *Cayn* omnino iusticia: *Petro* defuit fortitudo. Quā quidem virtutis quadrifarię p̄fectionem / & cathedrā sanctitatis: omnimodis exigit ministeriū hoc de quo loquimur: vt hac dote carens frustra sibi tanquā per Christū introierit blandiā. Super can. ser. xlvj. Ergo validos & constantes necesse est esse eos / qui super alios ordinantur: necnō & longanimes in spe atq; in superna mentis verticem attollentes, qui etiam bonum fidei suę & conuersationis: vbiq; odorem spargant.

¶ Cap. III. De bona conscientia p̄lati. In prima parte epistolę ad Henricū Senon̄. episcopum.

Istantū puritatis interioris gloria non fraudat: qui dicere potest cum p̄pheta. Obluioni datus sum tanquā mortuus a corde: id est a p̄pria voluntate. Bona obliuio si teipsum nescias vt proximo prosis. Bene autē mortuus a corde si iam tibi viuere non studeas: sed ei qui pro te mortuus est. Sane in tanta obliuione sui necesse est cor bene conscīū esse sibi: qui se in lucra securius foris extendat: cum securā intra se reliquerit conscientiā. Quid em̄ prodest homini si vniuersum mundū lucretur: animę autē suę detrimentum patiatur. Sed & ordinis exigit ratio, vt qui ad sui mensuram proximū iubetur diligere: prius seipsum diligere norit. Itaq; duo sunt precipue: quę bonam reddunt conscientiā. p̄nitere de malis, & abstinere a malis. Horū neutrum solū sufficit. Vtriusq;

H ij

Liber

virtutis bene conscius animus. secure iam seipsum deserat: & quodammodo pdat. vt aliquos lucrifaciat. Cum infirmantibus infirmetur. vratur cū scandalizatis. fiat etiā si oporteat iudæis iudæus: nihilq; formidet cū tali conscientia. Exemplo Hieremiæ & Ezechielis in Ægyptū vel Caldæā cum transgressoribus captiuari: sed & cum sancto Iob fieri frater draconum & socius strutionū: cū Moyse quoq; quod grauius est. deleri de libro dei: & cum Paulo anathema esse a Christo: pro fratribus nō timeat cum hmōi conscientia. Ipsam deniq; si necesse est intrare gehennam. securus medias penetret flammās. Cū tali conscientia comparemus si placet thesauros regum: & fastigia regnorum cum huiusmodi fiducia. Nonne cuncta horum fœlicitas: præ tanti boni diuitijs miseria reputabitur? Et hanc fiduciā operatur caritas.

¶ Cap. IIII. De zelo prælatorū. In quadam ep̄la.

Prælati prodesse magis studeant q̄ præesse. Habeat caritas zelum. sed adhibeat pro tempore modū seueritas. Censura quidem nunq; remissa: intermissa tamen plerūq; plus proficit. Vigor iusticię semper feruidus. sed nunq; præceps. Sicut non omne quod libet licet. sic nō omne quod licet statim etiā expedit. Super cantica. ser. xxij. Oportet prorsus vino zeli in caritate feruentis æstuet qui alijs præsidet. Alioquin improbe satis præesse affectas quibus prodesse non curas: & quorū non zelas salutem subiectionem nimis ambitiose vendicas tibi. tercio libro de consideratione. Præsis vt prouideas vt consulas vt procures vt serues. præsis vt profis. præsis vt fidelis seruus & prudens: quem constituit dominus super familiam suam. Ad quid? Vt det illis escam in tempore. hoc est vt dispensēs non imperes. hoc fac & dominari ne affectes hominū homo. vt nō dominetur tui omnis iniusticia. vbi supra. iij. libro. Factu quod tuum est. nam deus quod suum est satis absq; tua sollicitudine & anxietate curabit. Planta. riga. ser curam: & tuas explicuisti partes. Sane incrementum vbi voluerit dabit deus non tu. vbi forte noluerit tibi deperit nihil. Tu autem cura inueniri fidelis seruus & prudens. conservis tuis cœleste triticum cōmunicare: absq; inuidia & absq; desidia erogare. In ep̄stola ad Balduinū abbatem. De solo tibi credito talento respondere tibi para: securus de reliquo. si multū ac-

cepisti: multum da. **Q** si modicum est: & id tribue. Etenim qui in modico fidelis non est: nec in maximo. Totum da. quia totum repetendū est vsq; ad nouissimū quadrantem. sed sane quod habes. non quod non habes. Memento etiā voci tuæ dare vocem virtutis. Quid illud inquis? Vt opera tua verbis concinant immo verba operibus. vt cures prius videlicet facere q̄ docere. Pulcherrimus ordo est & saluberrimus: vt onus quod portandum imponis/ tu prior portes: & ex te discas qualiter oporteat alijs moderari. Sermo quidem viuus & efficax exemplum est operis: facile faciens suadibile quod dicitur: dum monstrat factibile qd̄ suadet. Ergo in his duobus mandatis. verbi scz atq; exempli: summā tui officij ad conscientie securitatem pendere intellige. Tu tñ si sapias: iunges & terciū: studiū orōnis. Manent itaq; tria hęc. verbū/ exemplum/oratio. Maior aut̄ his est orō. Nam etsi vocis virtus sit opus & operi tamen & voci gratiā efficientiāq; p̄meretur oratio.

¶ Cap. V. De pietate platoꝝ. Super cantica ser. xxiiij.

A Udiant praelati. qui sibi cōmissis volunt semper esse for midini: vtilitati raro. Discite subditorū matres vos esse debere. non dominos. Studete magis amari. q̄ metui. Et si interdum seueritate opus est: paterna sit non tyrannica. Matres fouendo: patres vos corripiendo exhibeatis. Mansuescite. ponite feritatem. suspendite verbera. producite vbera. pectora lacte pinguescant: non typo turgent. Quid iugum vestrum super eos aggrauatis: quorum potius onera portare debetis? Cur morsus a serpente paruulus fugit conscientiā sacerdotis: ad quem eum magis oportuerat tanq̄ ad sinum recurrere matris? Si spiritales estis: instruite huiusmodi in spiritu lenitatis. considerans quisq; seipm. ne & ipse temptetur. Alioquin ille in peccato morietur suo: sanguinem autem eius de manu tua requiram. Super cantica serm. x. Quanti hodie de his qui animas regere susceperunt quod sine miserabili gemitu dicendū nō est: Christi opprobria. sputa/flagella/ clauos/lanceā/crucem & mortem: hæc omnia in fornace auaricie conflant & p̄fligant in acquisitionem turpis questus. & precii vniuersitatis suis marsupijs includere festinant. hoc solo sane a iuda scariothis differentes: q̄ ille horū omne emolumentū denarioꝝ numero compenlauit. isti voraciōri ingluuie lucroꝝ infinitas exi-

Liber

gunt pecunias: his insatiabili desiderio inhiant: pro his ne amittant
timent: & cū amittunt dolent. Harū in amore quiescunt quantū
dumtaxat liberū eis est a seruandī vel augmentandī cura. Anima-
rum vero nec casus reputat nec salus. Non sunt pfecto matres:
qui cum sint de crucifixi patrimonio nīmū incraissati, impingua-
ti, dilatati, nō compatiunt super contritionem Ioseph. Quē mater
est nō dissimulat: habet vbera & nō vacua. Gaudere cū gaudenti-
bus: & flere cū flentibus nouit, nec cessat exprimere de vbere quā-
dam congratulationis lac exhortationis, de vbere vero compas-
sionis: lac consolationis. Nam congratulatio quidem exhortatio
nis: compassio vero consolationis lac fundit. Videas eam si quem
forte deprehenderit forti aliqua temptatione concussū: & inde
turbatū, & tristem pusillanimumq; factū: nō posse iam ferre vim
temptationis, quomodo condolet / quomodo mulcet / quomodo
plangit / quomodo consolat. quot argumenta pietatis mox repe-
rit: quibus erigat desolatū. Contra si promptū, si alacrem, si bene
p̄ficiētem cognouerit: exultat, aggredit salutaribus monitis ac-
cendit amplius, instruit de quibus potest: vt p̄seueret: & vt in me-
lius semper p̄ficiat exhortat. Omnibus se conformat: omniū in
se transfert affectus, matrem se probat deniq;: nō minus deficien-
tium q̄ proficientiū. Super cantū, ser. liij. Multos videmus: qui qd̄
crassum est & forte assumētes: quod debile est proijciunt. Nun-
quid medicus valentes requirit: & nō potius agrotantes? Quos
docebis magister bone: si omnes indoctos repuleris? Quibus que-
so habebis diligentia disciplinē: si indisciplinatos vel effugaueris
vel fugeris? In quibus obsecro tuā probabis patientiā: si solos ad-
miseris mansuetos: inquietos excluderis? Super can. ser. xxv. Om-
nibus quidem optanda est perfectio: pprie aut optimorū forma
est p̄latoꝝ. Sciant quippe boni fidelesq; p̄positi: languentiū
sibi creditā animarū curā, non pompā. Cūq; internū murmur
cuiuspiā illarū querulę vocis indicio deprehendunt, & in ipsos
vsq; ad conuicia & contumelias, prumpentis: medicos se nō do-
minos agnoscentes parant consēlitim contra frenesim animę non
vindicā sed medicinam.

¶ Cap. VI. Quę animę infirmę oneri sunt p̄lato, nō sane.
In prima parte epl̄arū ad Renaldū abbatem de susmaco.

ONus animarum est infirmarum. Nam quę sanę sunt portari non indigent ac per hoc nec onus sunt. Quos cū igitur de tuis inueneris / tristes, pusillanimes murmuriosos; ipso- rum te patrem: ipsorū te noueris esse abbatem: consolando / exhortando / increpando. Agis opus tuū: portas onus tuū: & portando sanas quos sanando portas. Si quis uero ita sanus est ut magis iuuet te quā iuuetur a te: huius te nō patrem / sed parem: comitem nō abbatem cognoscas. Quid igitur causaris de aliquorū qui tecū sunt magis grauari consortio: quā frui solatio. cum solus omnium omnibus datus sis solatiū: tanquā omnibus sanior. omnibus fortior. qui omnibus sufficias per dei gratiā solatiari: & a nemine omnium indigeas confortari. Denique in quantū grauaris. in tantū lucraris. & in quantū iuuaris in tantū tibi tua pręmia minuis. Eli- ge ergo quos eligas: an qui grauando iuuant. an qui iuuando gra- uant. Hi tibi. pmeritores. illi fraudatores meritorū existūt. Nam qui socij laboris: pculdubio & mercedis participes erunt.

¶ Cap. VII. De solitudine patorum. Sup. can. sermo. liij.

IS qui alijs pręest in solitudine: vix vnquē vel raro secure uas- cat sibi. dum semper timet sui penuriā facere subditis & non placere deo: quod cōmuni utilitati. ppriā pferat: quietem scilicet & contemplationis dulcedinem. Non autē parū gaudij & securita- tis accedit: interdū suauiter ferienti. cū ex metu quodā & reueren- tia erga se immixta diuinitus. cordibus subditorum intelligit suā deo placere quietem: qui facit ut illi æquo magis animo suas necessita- tes sustineant: quā patris spiritalis grata audeant oia temere pertur- bare. Super cant. ser. lxxvi. Quā boni vigilēs. qui nobis dormien- tibus ipsi puigilant: quasi rationem pro animabus nostris reddi- turi. Quā boni custodes qui vigilantes animo: atque in orationibus pnoctantes hostiū insidias sagaciter explorāt. anticipant consilia malignantiū. deprehendunt laqueos. eludunt tendiculas. retiacula dissipant. machinamenta frustrant. Hi ergo fratrum amatores & populi Christiani: qui multū orant pro populo & vniuersa san- cta ciuitate. Hi sunt qui multū solliciti pro sibi cōmissis domini- cis ouibus: cor suū tradunt ad uigilandū diluculo ad dominū qui fecit illos: & in conspectū altissimi deprecant. Et uigilant & de- precant: scientes suā insufficientiā in custodienda ciuitate. Porro

Liber

cum dominus ita p̄cipiat: vigilate & orate ne intretis in tempta-
tionem. liquet q̄ absq̄ duplici hoc exercitio fidelium studioq̄ cu-
stodum nō potest esse secura ciuitas: nō sponsa: nō oues. Horum
differentiā queris? Vnū sunt: ciuitas p̄pter collectionem. sponsa
p̄pter dilectionem: oues p̄pter mansuetudinem. Propterea qui-
cunq̄ opus ministerij huius sortiti estis: attendite vobis & p̄cioso
deposito quod vobis creditū est. Ciuitas est: vigilate ad custodiā
concordiāq̄. Sponsa est. studete ornatui. Oues sunt: intendite pa-
stui. Porro custodia ciuitatis vt sit sufficiens trifaria erit. A vitio-
rannorū. A fraude hereticorū. A temptationibus dæmonū. Spō-
se vero ornatus: in bonis operibus / & moribus / & ordinibus.
At pastus ouium cōmuniter quidem in pascuis scripturaz: tanq̄ in
hereditate domini. sed est distinctio in illis. Nam sunt mandata. q̄
duris atq̄ carnalibus animis imponunt ex lege vite & disciplinæ:
& sunt onera dispensationū que infirmis & pusillis corde: de re-
spectu misericordiæ apponunt: & sunt consiliorū solida fortiaq̄
que ex intimis sapientiæ pponunt sanis: & qui exercitatos habent
sensus ad discretionem boni & mali. Paruulis nanq̄ tanq̄ agnicu-
lis: adhortationis lac potus datur non esca.

¶ Cap. VIII. De doctrina p̄latorū. Sup. canti. ser. lxxvi.

Boni sollicitiq̄ pastores impinguare pecus nō cessant bonis
electisq̄ exemplis. & suis magis q̄ alienis. Nā si alienis &
nō suis: ignominia est illis: & pecus ita nō p̄ficit. Si em̄ ver-
bi causa ego q̄ videor inter vos pastoris gerere curā: vobis appo-
suerō Moyse mansuetudinem / patientiā Iob / misericordiam Samuelis /
Dauid sanctitatem: & si q̄ sunt eiusmodi & exempla bonorū: im-
mitis ipse & impatiens atq̄ imisericors & minime sanctus sermo:
vt vereor minus vobis ex nobis est. Nunc vero bonus pastor hoc
q̄q̄ curabit: vt scdm̄ euangeliū inueniat habere sal in semetipso:
sciens q̄a sale sermo conditus q̄tum placuerit ad gratiā: tantū p̄de-
rit ad salutem. Hęc interim de custodia ciuitatis atq̄ ornatu spon-
se: verū & pastu ouium dicta sint. Volo tamen adhuc eadem paulo
expressius designare p̄pter eos qui dū auide nimis honoribus in-
hiāt: minus p̄uide grauibus se supponūt oneribus: exponūt picu-
lis: vt sciant ad quid venerint. Ni fallor ad solā ciuitatis custodiā:
vt quantū satis est procuret opus est viro forti / spiritali / fideli.

Forti, ad ppulsandas iniurias, Spirituali, ad deprehendendas insidias
 Fideli / qui nō. que sua sunt querat. Porro ad mores honestandos
 vel corrigendos quod utiq; ad decorem ptinet sponse / quis nō li-
 quido agnoscat pernecessariā fore cū multa quidem diligentia di-
 scipline censurā. Iam vero quomodo in pascua diuinoꝝ educet
 eloquioꝝ gregem dominicū pastor idiota. Sed etsi doctus qui-
 dem fuerit / non aut sit bonus: verendū ne nō tam nutriat doctri-
 na vberit: q̄ noceat vita sterilit. Temere itaq; & in hac parte hoc o-
 nus subitur absq; scientia pariterq; vita laudabili. Pastores siqui-
 dem qui veri pastores sunt: licet habeant de terra & in terra cor-
 pora sua: nō tamen de terra sed de coelestibus pascuis greges do-
 minicos pascere consueuerunt, Neq; enim suam eis: sed domini
 prædicant voluntatem.

¶ Capitulum. IX. Q. prelato sicut deo obediendū
 sit. In libro de precepto & dispensatione.

Sive deus: siue homo / vicarius dei mandatū quodcumq; tradi-
 derit pari pfecto obsequendū est cura: pari reuerentia dese-
 rendum. vbi tamen deo contraria nō precepit homo. Quod
 si contigerit: pergendū indubitanter consulo in petri sententiā: q̄
 obedire oportet deo magis q̄ hominibus. Quamobrem quicquid
 vice dei pcepit homo. qd nō sit tamen certū displicere deo: haud
 secus omnino accipiendū est: q̄ si p̄cipiat deus. Quid em̄ interest.
 vtrum per se an per suos ministros, siue homines, siue angelos ho-
 minibus innotescat suū placitū deus. Sed homines inquis facile
 falli in dei voluntate de rebus dubijs percipienda: & in p̄cipiendo
 fallere possunt. Sedenim quid hoc refert tua qui conscius nō es.
 A quo deniq; diuina potius consilia requirunt: q̄ ab illo cui cre-
 dita est dispensatio mysteriorū dei. Ipsum proinde quem pro deo
 habemus tanq; deū in his que aperte nō sunt contra deū, audire
 debemus. Porro imperfecti cordis: & infirmę prorsus voluntatis
 indicium est: statuta seniorū studiosius discutere. Herere ad singula
 que iniungunt. exigere de quibusq; rationem. & male suspicari
 de omni precepto: cuius causa latuerit. ne vnq; libenter obedire.
 nisi cum audire contigerit quod forte libuerit: aut quod nō aliter
 licere seu expedire monstrauerit / vel aperta ratio / vel indubitata
 auctoritas. Delicata satis immo nimis molesta est hmōi obediē-
 ti

Liber

3
tia. Disputare profecto hoc est in altu cordis: non in auditu au-
ris obedire.

¶ Cap. X. Q. praelato contraria deo iubente nō est
obediendū. In prima parte epistolae ad Adam mo-
nachū sc̄da. quē sic incipit. Si maneres in caritate.

Mala imperantibus: nō est parendū. Presertim dum pra-
uis obtemperans imperijs: in quo homini videris obe-
diens: deo plane quī omne quod perperā agitur interdi-
cit. inobedientem te exhibes. Valde autē pessimū est p̄fiteri te obe-
dientem: in quo nosceris superiorem p̄pter inferiorem. id est di-
uinam p̄pter humanā soluere obedientiā. Quid enim? Quod iu-
bet homo. phibet deus: & ego audiā hominem. surdus deo. Ina-
anis excusatio de humana obedientiā vbi in deū conuincit facta
transgressio. Nec dico a subditis mandata p̄positorū esse dijudi-
canda. vbi nil iuberi deprehendit diuinis contrariū institutis: sed
necessariā assero & prudentiā qua aduertat si quid aduersat &
libertatem qua ingenuē contemnat. Igitur facere malū. quolibet
etiā iubente constat nō esse obedientiā: sed potius inobedientiam.
Sane hoc aduertendū q̄ quaedā sunt pura bona: quaedā pura ma-
la. & in his nullā deberi hominibus obedientiā. quoniā nec illa o-
mittenda sunt cum prohibent: nec ista vel cum iubent cōmitten-
da. Porro inter hęc sunt mediā quaedā. quē pro modo. loco. tem-
pore vel persona: & mala possunt esse & bona. & in his lex posita
est obedientiē. In his p̄fecto fas nō est nostrū sensum sententiā
p̄scribere magistrorū. In his omnino prelatorū nec iussio nec phi-
bitio contemnenda. Fides. spes. caritas. & cetera hmōi. pura sunt
bona: quia male nō possunt vel iuberi vel teneri. bene nō possunt
vel phiberi vel nō teneri. Pura mala sunt. furtū. sacrilegiū. adulte-
rium. & cetera talia. quē vtiq; nec vel bene p̄cipi vel perfici pos-
sunt. nec male phiberi. vel non fieri. Aduersus hmōi non est lex.
Nullius quippe phibitio valet obuiare p̄ceptis. nullius iussio p̄-
iudicare phibitis. Sunt deinde mediā quē quidem per se nec bona
esse noscunt nec mala: possunt tamen indifferenter & bene pariter
& male. vel iuberi vel phiberi: sed male nullatenus in his a subdi-
tis obediri. Ex his sunt vt exempli gratia ponā. ieiunare. vigilare/
legere. & quēq; talia. Sciendū vero quia mediā quaedā in puroꝝ

plērumq; bonorū seu malorū transeunt rationem. Nam coniugium cum & fieri liceat & nō fieri; factū iam / solui non licet. Qd̄ ergo ante nuptias mediū esse liquebat; in iam coniugatis puri boni vim obtinet. Item ppria possidere sæculari quidem homini medium est. qm̄ & non possidere licet. monacho vero quia possidere non licet purum malum est.

¶ Cap. XI. Q; non inobedientia sed intentio inobedientis pensat̄. In libro de p̄cepto & dispensatione.

Nonnulla stultiloquia seu vaniloquia; & quæq; ociose dicta / facta / & cogitata; nunq; nisi contra dei mandatū vsurpant̄. Peccata quippe sunt; & deus phibet omne peccatum; & tamen venialia nō criminalia reputant̄. Excepto cū per contemptū vertunt̄ in vsū & consuetudinem. & tunc nō peccati species; sed peccantis intentio pensat̄. Non enim inobedientia. sed impœnitentia facit p̄uaricationem. Elatio quippe contemnentis atq; impœnitentis obstinatio in minimis quoq; mandatis culpā facit nō minimā; & conuertit in crimen grauis rebellionis; nemini satis leuem simplicis transgressionis. Non est enim idipsum nolle obedire; & nō obedire. Hoc quippe interdū erroris est nonnunq; & infirmitatis. illud vero aut odiose pertinacię; aut contumacię nō ferendę. Quod & ipsum repugnare est & resistere spiritui sancto; & si ad mortem vsq; pdurauerit; blasphemia est; nō remittenda siue in hoc sæculo; siue in futuro. Non ergo qualiscūq; mandati præteritio criminalem facit inobedientiam; sed repugnare. sed nolle obedire.

¶ Capitulum. XII. Q; periculose viuatur absq; magistro. Super cantica sermone. lxxvij.

Avdiant qui sine duce & p̄ceptore; vias vite ingredi non formidant. Ipsi sibi in arte spiritali existentes; & discipuli pariter & magistri. Non sufficit hoc etiā coacervant discipulos sibi cæci duces cæcorū. Quāmulti ex hoc a recto tramite periculosissime aberrasse comperti sunt. Nimirū ignorantes astutias sathanę & cogitationes ipsius; factū est vt qui spiritu ceperant; carne consummarent̄. Abducti pariter lapsi damnabiliter. Videant proinde qui eiusmodi sunt. quomodo caute ambulent. Seductori dat manū; qui se dare dissimulat p̄ceptorī. Et q̄ dimittit̄

Liber

tit oues in pascua absq; custode: pastor est nō ouitū sed luporū.

¶ Cap. XIII. Q; non sit vnus meriti socialiter vi-
uere & vtiliter pesse. Super canti. ser. xxij.

Non paris facilitatis seu facultatis eiusdem est: petulātes/
vagosq; sensus atq; intemperantem carnis appetitū ma-
gistrī comprimere metu: ac rigida disciplinē cohibere cen-
tura: & ipontaneo affectu bene cū socijs conuenire castigatis sub
ferula viuere moribus: & sola magistra voluntate gratū paribus
gerere morem. Nam neq; rursum vnus quis dicat esse meriti. vni
usue virtutis. socialiter viuere & vtiliter pcesse. Quāmulti deniq;
sub pceptore quieti viuunt: quos si iugo absoluas. videas nō pos-
se quiescere nec se vllō modo æqualibus seruare innoxios. Itemq;
innumeros cernes simpliciter & sine querela inter fratres conuer-
sari: super fratres non solū inutiliter sed & insipienter & nequiter.
Quadā siquidem bona mediocritate contenti sunt qui hmōi sunt:
sicut eis mensurā gratiē partitus est deus: minime quidem egentes
magistro: nec tamen idonei magisterio. Prioribus ergo sequentes
quidem in moribus antecellunt. sed vtriscq; superiores existūt qui
superiores esse sciunt. Deniq; & accipiunt in pmissione qui bene
presunt: constitui super omnia bona domini sui. At pauci pfecto
qui vtiliter. pauciores qui & humiliter presint. facile tamen vtrū-
q; adimplet qui matrem virtutū discretionem pfecte adeptus: vi-
no nihilominus caritatis vsq; ad contemptū propriē gloriē: vsq;
ad suis ipsius obliuionem ad non querenda quę sua sunt inebriat.
quod solo ac miro spiritus sancti magisterio obtineē. Virtus si-
quidem discretionis absq; caritatis feruore iacet. & feruor vehe-
mens absq; discretionis temperamento picipitat. Ideo laudabilis
cui neutrum deest. quatinus & feruor discretionem erigat: & discre-
tio feruorem regat. Ergo taliter oportet esse moratū eum qui pre-
est. Optimū aut in moribus dixerim: & summā disciplinæ huius
perfecte apprehendisse: qui in nullo prorsus. aut resistat priori-
bus: aut inuideat paribus: aut subiectis. vel desit in cura: vel in su-
perbia pæsit. Prælati obediens: socijs congruens: subditis vtili-
ter condescendens.

¶ Cap. XIII. Quomodo p̄latus vel p̄dicator inuitat a deo
ad animas instruendas. In canticis sermone. lvij.

AD animas reuifendas / corrigendas / instruendas / saluandas: anima pfectior inuitat. que tamen id ministerij fortita sit non sua ambitione: sed vocata a deo tanquam Aaror. Porro inuitatio ipsa quid est: nisi quaedam intima stimulatio caritatis pie nos sollicitantis amulari fraternam salutem: emulari decorem domus domini: incrementa lucrorum eius: incrementa frugum iusticie eius: laudem & gloriam eius. Istiusmodi itaque circa deum religiosi affectibus quotiens is qui animas regere, aut studio predicacionis ex officio intendere habet: hominem suum interiorem senserit moueri: totiens pro certo deum adesse intelligat: totiens se ab illo ad animas inuitari. Ad quid, nisi ut euellat & destruat, & edificet & plantet: Super cantica ser. lix. Verum illius libenter doctoris audio vocem: que non sibi plausum sed mihi planctum moueat. Vere turem exhibes: si gemere doceas. Et si persuadere vis gemendo: id magis quam declamando studeas oportebit. Exemplum sane cum in multis alijs tamen vel maxime in hoc negotio verbo efficacius est. Dabis voci tue vocem virtutis: si quod suades prius tibi illud videris persuasisse. Validior operis quam oris vox: fac ut loqueris. & non solum me facilius emendas: sed te quoque graui liberis probro. Non iam pertinebit ad te: si quis dicat. Tu qui alios doces: te ipsum non doces

¶ Cap. XV. Quid cauendum sit predicatori.

Super cantica sermone. xvij.

Fides. spes. caritas: nobis propter nos donantur. absque his qui prope salui esse non possumus. Porro scientie seu sapientie sermo gratia curationis: prophetia: similiaque quibus carere cum integritate salutis proprie possumus: proximorum proculdubio in salutem expendenda donantur. Sed sane cauendum in his aut dare quod nobis accepimus: aut quod erogandum accepimus retinere. Rem profecto proximi retines tibi: si verbi causa plenus virtutibus cum sis. foris que nihilominus donis scientie & eloquentie adornatus: metu forte aut segnitie. aut minus discreta humilitate: verbum bonum quod posset prodesse multis: inutili immo & damnabili ligas silentio certe maledictius quam frumenta abscondis in populis. Rursus quod tuum est spargis & perdis: si priusquam infundaris tu totus semiplenus festines effundere. Nimirum vita & salute quam alteri das: te fraudas. dum sana vacuus intentione glorie inanis vento

Liber

in laris; aut terrene cupiditatis veneno inficeris; & loetali aposte-
mate turgens interis. Quam obrem si sapiis: concam te exhibebis;
& nō canalem. hic si quidem pene simul & recipit & refundit. illa
vero donec impleat expectat; & sic quod superabundat. sine suo
damno cōmunicat. Verum canales in ecclesia hodie multos habe-
mus: contas vero ppaucas. Tante caritatis sunt. per quos nobis
fluenta cœlestia manant; vt ante effundere q̄ infundi velint; loqui
q̄ audire paratiores; & prompti docere quod non didicerunt; &
alijs p̄esse gestientes qui seiplos regere nesciunt. Q̄ si non habeo
nisi parumper olei quo vngar; putas tibi debeo dare: & remanere
inanis. Seruo illud mihi & omnino nisi ad p̄phete iustionem nō
p̄fero. Si institerint rogitantes aliqui: ex his qui forte existimant
de me. supra id quod vident in me. aut audiunt aliquid ex me re-
spondebit eis. Ne forte non sufficiat nobis & vobis; ite potius ad
vendes & emite vobis. Sed caritas inquis non querit que sua
sunt. Et tu scis quam ob rem. Non querit que sua sunt p̄fecto.
quia nō desunt. Quisnā quærat qd̄ habet. Caritas que sua sunt;
id est proprię saluti necessaria nunq̄ nō habet; nec modo habet. sed
etiam abundat. Vult abundare sibi; vt possit & omnibus. Seruat
sibi quantū sufficiat; vt nulli deficiat. Alioquin si plena nō est; per-
fecta nō est. Cæterū tu frater cui firma satis ppria salus nondum
est. cui caritas adhuc aut nulla est. aut adeo tenera. & arundinea;
quatūvis omni flatui cedat. omni credat spiritui; omni circūferat
dōctrinę vento. immo cui tanta est caritas vt vltra mandatū qui-
dem. diligas proximū tuū plus q̄ teipsum. Et rursum tantilla vt
contra mandatū fauore liquecat. pauore deficiat. perturbet tristi-
cia. auaricia contrahat. protrahat ambitione. suspicionibus inqui-
retur. conuicijs exagitet. curis euiscere. honoribus tumeat; liuo-
re tabescat. tu in quā ita in proprijs teipsum sentiens; quam de-
mentia que so aliena curare; aut ambis aut acquiescis. Implere pri-
us & sic curato effundere. Benigna prudensq̄ caritas affluere
consuevit; nō effluere. Alioquin nec mihi cedet ditari ex te. te ex in-
anito. Si enim tu tibi neq̄; cui alij bonus eris. De cumulo si va-
les adiua me; sin autem parcito tibi.

¶ Capitulum. XVI. Quomodo secure prædicat.
Super cantica sermone. xviiij.

Accedit medicus ad vulneratū. Spiritus ad animā. Quam enim nō reperiat gladio diaboli vulneratā: etiam post sanatum vulnus antiqui delicti medicamento baptismatis. Ergo ad animā cum accedit spiritus: quid primo opus est: Vt tumor vel vlcus quod forte supercreuit in vulnere. & potest impedire sanitatem ante omnia amputeē. Abscidat itaq; ferro acutę compunctionis: vlcus inueteratę consuetudinis. Sed est acerbus dolor. leniat proinde vnguento deuotionis: quod nō est aliud nisi concepta de spe indulgentię exultatio. hanc continendi parit facultas & victoria de peccato. Deinde apponit medicamentū poenitentię: malagma ieiuniorū/vigiliarū/orationū: & si qua sūt alia poenitentū exercitia. In labore cibandus est cibo boni operis. nede ficiat. Itaq; comitent poenitentię labores. pietatis opera quę confortent. Cibus sitim excitat. potandus est. Accedat cibo boni operis. orationis potus. componens in stomacho conscientię. qđ bene ingestū est: & cōmendans deo. Orando bibitur vinū letificans cor hominis. vinū spiritus quod inebriat. & carnaliū voluptatum infundit obliuionem. humectat interiora arentis conscientię. escas bonorū actū digerit: & deducit per quaedā animę membra. fidem roborans. spem confortans. vegetans ordinansq; caritatem: & impingrans mores. Sumpto cibo potuq; quid iam restat nisi vt pauset agrotus: & quieti contemplationis post sudores actionis incumbat: Dormiens in contemplatione somniat deū. per speculum siquidem & in enigmate: non autē facie ad faciem interim intuetur. Tamen sic nō tam spectati q; coniectati: idq; raptim: & quasi sub quodā coruscamine scintillę transeuntis tenuiter vix at tacti inardescit amore. Talis amor zelat. hic decet amicū sponsi: hoc necesse est ardeat fidelis seruus & prudens: quem constituit dominus super familiā suā. hic replet: hic feruet: hic ebullit: hic itā securus effundit/exundans & erumpens. Prędicet. fructificet: in nouet signa & immutet mirabilia. non est quo se immisceat vanitas: vbi totū occupat caritas. Siquidem plenitudo legis & cordis est caritas si tamen est plena. Deus deniq; caritas est. & nihil est in rebus quod possit replere creaturā factam ad imaginem dei nisi caritas deus: qui solus maior est illa. Eam nondū adeptus periculosissime promouet: quantilibet alijs videat pollere virtutibus.

Liber

Si habuerit omnem scientiā, & dederit omnem substantiā suam pauperibus: si tradiderit corpus suū ita vt ardeat, absq; caritate vacuus est. En quanta prius infundenda sunt vt effundere audem? De plenitudine nō de penuria largientes. Primo quidem compunctio: deinde deuotio: tercio poenitentię labor: quarto pietatis opus: quinto orationis studiū: sexto contemplationis ocium: septimo plenitudo dilectionis.

¶ Cap. XVII. De puritate pontificum. In epistola ad Henricum Senonen. episcopum.

Puritas cordis in duobus consistit in querenda gloria dei: & utilitate proximi, vt in omnibus videlicet actibus vel dictis suis nihil querat episcopus suū: sed tantū aut dei honorem, aut salutem proximorū: aut vtrunq; hoc enim agens implebit nō solū officiū pontificis sed & ethymologiā nominis: pontem vtiq; faciens seipsum inter deū & proximū. Pertingit pons iste vsq; ad deum: ea fiducia qua non suā, sed illius gloriā querit. Pertingit vsq; ad proximū illa pietate: qua & ipsi nō sibi prodesse desiderat. Offert deo bonus mediator preces & vota populorū: reportans illis a deo benedictōem & gratiā. Supplicat maiestati pro excessibus delinquentiū: vindicat in peccantes iniuriā dei. Ingratis improperat beneficia pietatis: contemnentibus potentie seueritatem insinuat. Vtrifq; tamen nihilominus placare studet indignantis suorum: nunc quidem hominū obtendens infirmitatem: nunc diuinę magnitudinem pietatis. Deniq; siue excedat deo siue sobrius sit nobis aut deo semper quantū in ipso est placere gestit aut prestare nobis: nō quod sibi omnino vtile est querens: sed quod multis. Fidelis pontifex qui bona quelibet per manus suas transeuntia siue diuina beneficia ad homines, siue hominū vota ad deū: coalumbino intuens oculo: nil sibi retentat ex omnibus. Nec populi requirit datū sed lucrū, nec dei gloriā vsurpat sibi. Acceptum talentū nō ligat in sudario: sed partim numularijs a quibus & vsuras recipit, nō sibi sed domino. Non habeat foueam vt vulpes: nō tanq; volucres nidū: non oculos quomodo Iudas: nō deniq; sicut Maria locū in diuersorio. hoc tanto puritatis intime bono gloriari non potest veraciter: nisi qui extrinsecas gloriolas perfecte respuerit. Nec enim pure valet vel dei vel proximi querere lucra: qui

propria non contempserit.

¶ Cap. XVIII. De clamore pauperū ad pontifices. vbi sup̄.

Clamat penuria pauperū. clamant nudi. clamant famelici
conquerunt & dicunt. Dicite pontifices in freno quid fa-
cit aurum? Nunquid aurū a freno repellit frigus: siue esu-
riem? Nobis fame & frigore miserabiliter laborantibus: quid cō-
ferūt tot mutatoria vel extensa in perticis vel plicata in manticis?
Nostrū est quod effunditis: nobis crudeliter subtrahit quod in-
aniter expenditis. Et nos em̄ dei plasmatio Christi & nos sangui-
ne redempti sumus. Nos ergo fratres vestri. Videte quale sit de
fraterna portione pascere oculos vestros. Vita nostra cedit vobis
in superfluas copias. Nostris necessitatibus detrahūt: quicquid ac-
cedit vanitatibus vestris. Duo deniq; mala de vna prodeunt radi-
ce iniquitatis. dum & vos vanitando perditis: & nos spoliando
perimitis. Iumenta gradiunt onusta gemmis: & nostra non cura-
tis crura nuda caligulis. Annulli. catenule. tintinabula: & clauate
quādā corrigie. multaq; talia tam speciosa coloribus: q̄ ponderi-
bus p̄ciosa: mularū pendent ceruicibus. fratrū aut lateribus: nec se-
micintia miserantes apponitis. Huc accedit q̄ hęc omnia nec nego-
ciationis studio: nec p̄prio manū exercitio vobis elaborastis: sed
nec iure hereditario possidetis. Et hęc pauperes modo quidem co-
ram deo tantū. cui corda loquunt. Nec enim audent aperte causa-
ri aduersum vos: quibus interim pro sua vita necesse habent poti-
us supplicare. Ceterū in futuro stabunt in magna constantia ad-
uersus eos qui se angustiauerunt: stante quippe pro eis. patre or-
phanorū & iudice viduarū. Ipsius enim tunc vox erit. Quamdiu
nō fecistis vni de his minimis meis: nec mihi fecistis.

¶ Cap. XIX. De superfluo habitu sacerdotū. In
prima parte epistolary ad Henricū Senon̄. ep̄m.

Cernitur in nonnullis sacerdotibus vestitū cultus plurimus:
virtutū aut nullus aut exiguus. Verū tu sacerdos altissimi
dei. cui ex his placere gestis: mundo an deo? Si mundo. cur
sacerdos. Nam si placere vis mundo: quid tibi prodest sacerdotiū?
Nec enim potes duobus dominis seruire. Qui aut amicus vult es-
se huius mundi: inimicus deo constituit. Volens itaq; placere ho-
minibus: deo nō places. si nō places: nō placas. Cur ergo vt dixi sa-

K ij

cerdos: Sin vero quod addidi placere intendis, nō mundo sed deo: cur qualis populus talis & sacerdos: Enimvero si sacerdos pastor est: & populus oues: dignū est vt in nullo appareat pastor ouibus dissimilis. Si instar mei qui ouis sum pastor meus: & ipse incuru⁹ graditur: vultū gerens deorsum / & terrā semper respiciens: & soli ventri mente ieiunus pabula queritans in quo discernimur: Vt si venerit lupus non erit qui preuideat, qui occurrat, qui eripiat. Decet ne pastorem more pecorū sensibus incubare corporis: herere infimis: inhiare terrenis: & nō potius erectū stare vt hominem. coelum mente suspicere, quę sursum sunt & querere & sapere: non quę super terram.

¶ Cap. XX. De quorundam praelatorum crudeli ardore dominandi, vbi supra.

Nonnulli cum p̄sideant vrbibus valde populosis: totas vt ita dicam patrias, p̄prię diocesis ambitu circūcludant: occasione inuenta ex quocunq; veteri priuilegio: satis agūt vt & vicinas sibi subiiciant ciuitates, quatinus duę quibus duo vix p̄sules sufficiebant sub vno redigant antistite. Rogo quæ hæc tam odiosa p̄sumptio quis hic tantus ardor dominandi super terrā, tam effrenis cupiditas: Certe cū primū tractus es ad cathedram flebas: refugiebas vim querebaris multū ad te & omnino supra te esse dicens miserū clamitans & indignū qui non esses idoneus tam sancto mysterio: tantis nō suffices curis. Quid igitur nunc verecunda depulsa formidine: sponte ambis ad ampliora, immo irreuerenti audacia, p̄prijs nō contentus inuadis aliena: Cur hoc: Forte vt plures populos salues. Sed in alienam messem tuā mittere falcem iniuriosum est: vt tuę p̄stes ecclesię. Sed ecclesiarum sponso nō placet tale vnius incrementū: quod detrimentū alterius sit. Crudelis ambitio & incredibilis: si fidem oculi nō astruerent. Vbi est illa terrificā cōminatio, ve qui coniungitis domū ad domū: & agrū agro copulatis: Nunquid in his duntaxat exiguis, ne istud metuendū est: non aut cum vrbes vrbibus: aut prouincijs prouincię continuant. Huius rei gratia non pigritant crebro terere limina apostolorū: inuenturi & sibi quod magis dolendū est quifusę faueant improbę voluntati, nō q̄ valde Romani curent quo fine res terminei: sed quia valde diligunt munera: sequunt retibus

tionem. Bona humilitas que & in presentia ab huiusmodi mordacibus curis, mentem facit esse quietam: & a minacibus poenis in futuro securam reddit conscientiam.

¶ Cap. XXI. De suspitione & viciosa solitudine
episcopoꝝ. In lib. iij. de consideratione cap. v.

Quid episcopo turpius quam incumbere suppellectili: & substantiolarum suarum scrutari omnia, sciscitari de omnibus, morderi suspitionibus, moueri ad quædam perditam vel neglectam: Ad verecundiam dico quorundam eiusmodi: scrutantium quotidie omnem substantiam suam: numerantium singula, de minutis & quadrantibus exigentium rationem. Non ita ille ægyptius, qui ioseph omnibus traditis: ignorabat quid haberet in domo sua Erubescat christianus: christiano sua non credens, homo sine fide: fidem tamen habuit seruo: super omnia bona sua constituens eum. Et hic erat alienigena. Mira res. Satis superque episcopi ad manum habent: quibus animas credant: & cui suas committant facultatulas non inueniunt. Optimi videlicet æstimatores rerum, qui magnam de minimis: parvam aut nullam de maximis curam gerant. Sed ut liquido datur intelligi: patientius ferimus Christi iacturam quam nostram. Quotidianas expensas quotidiano reciprocanus scrutinio: & continua dominici gregis detrimenta nescimus. De precio escharum & numero panum cum ministris quotidiana discussio est. rara admodum cum presbyteris celebrat collatio de peccatis populorum. Cadit asina: & est qui subleuet eam, perit anima & nemo qui reputet. Nec mirum cum nec nostros quidem assiduos sentiamus defectus. Nonne ad singulas supputationes istas irascimur/vrimur/anxiamur? Quam tolerabilius rerum quam mentium sustinere iacturam? Quæso tu qui alios doces doce teipsum, plures te habere quam tua. Transitoria ista que stare tibi nullo pacto queunt: fac ut a te transeant, non per te. Riuus qui fluit cauat terram: sic discursus temporalium conscientiam rodit. Si potest torrens in agros excurrere sine lesione satorum: & tu te ista sine vulnere mentis posse tractare confidito. Omnimodis consulo studeas a te auertere concursum horum. Multa nescias: plurima dissimules: nonnulla obliuiscaris.

¶ Cap. XXII. Quæ considerato labore platorum minus placet honor eorum, Sup. canti. sermone. xij.

K iij

FRatres reueremur episcopos: sed vereamur labores eorū. Si labores pensamus: nō affectamus honores, Agnoscamus impares vires nostras nō delectet molles & foemineos hūeros virorū supponere sarcinis. Nec obseruemus eos: sed honoremus. Inhumane nempe eorū redarguis opera: quorū onera refugis. Temerarie obiurgat virū de prelio reuertentem: mulier nens in domo. Dico enim, Si is qui de claustro est eum qui versat in populo interdū minus districte, minusue circūspecte sese agere deprehenderit: verbi gratia, in verbo, in cibo, in somno, in risu, in ira, in iudicio: non ad iudicandū statim prosiliat: sed meminerit scriptum. Melior est iniquitas viri: q̄ benefaciens mulier. Nam tu quidem in tua custodia vigilans: benefacis. Sed qui iuuat multos & melius facit & virilius. Quod si implere nō sufficit absq̄ aliqua iniquitate, id est absq̄ quadā inæqualitate vite & conuersationis sue memento quia caritas operit multitudinem peccatorū. Hæc dicta sunt contra geminam temptationem qua sæpe viri religiosi episcoporū vel ambire gloriā: vel excessus temere iudicare diabolicis instigationibus instigantur.

¶ Cap. XXIII. De piculo p̄lationis. In. ij. parte ep̄larū.

Considero gradū, & casum vereor. Considero fastigiū dignitatis & intueor faciem abyssi iacentis deorsum, attendo celsitudinem honoris: & e vicino reformido periculū. In sermone de verbis psalmi, audiā quid loquat̄. Veruntamen optimā partem elegit Maria, licet non minoris fortasse meriti sit apud deū humilis conuersatio Marthæ, sed de electione Maria laudatur: quoniā illa quidem omnino quod ad nos spectat eligenda: hæc vero si iniungit̄ patienter est toleranda. Prælati nimirū vtraq̄ vita necessaria est: & ipsorū est vtriusq̄ providere. Nec dubium quin longe periculosior cæteris sit eorū administratio, tamen si benè administrauerint: gradū bonū sibi acquirent, & maiorem abundantiam & supereffluentem mensurā accipient pacis.

¶ Cap. XXIII. De acceptōe p̄sonarū q̄ vicio solent inquirari iudices. Ad eugenīū papā li. ij. de considera. cap. xiiij.

De avaricia nō est quo tuū fatigem intuitū: cum pecuniā tantq̄ paleam dicaris habere. Non prorsus nō est q̄ pro illa timeat̄ a iudicij suis. Sed est quod nō minus sæpe nec

noxie minus insidiari iudicantibus solet: de quo maxime quid in tua iaceat conscientia latere te nolim. Quid illud sit queris? Acceptio personarum. Non parui te reum peccati existimes: si facies peccatorum sumis & non potius causas iudicas merito rui? Est item vicium cuius si te immunem sentis inter omnes quos noui ex his qui cathedras ascenderunt, sedebis me iudice solitarius: quia veraciter singulariterque leuasti te supra te. Facilitas credulitatis hec est. Cuius callidissime vulpecule magnorum neminem comperi satis cauisse ueritas. Inde eisis pro nihilo ire multe. Inde innocentium frequens addictio, inde preiudicia in absentes.

¶ Cap. XXV. Quia ira & nimia pietas subuertunt iudicium, in lib. ij. de considera, ad Eugenium papam.

Oportet innotescat tibi zelus tuus clementia tua, discretio quoque mediatrix earundem virtutum. Qualis videlicet in donandis iniurijs, qualis sis in uiscendis, quod prouidus in utroque: modi/loci/temporis obseruator. Prorsus considerata tria hec in usu virtutum harum ne non sint virtutes: si preter hec reperiantur. Nempe eiusmodi non natura virtutes: sed usus facit. Nam ex se indifferentes esse noscunt. Tuum est aut abutendo & confundendo facere vicia: aut bene ordinateque utendo virtutes. Solent discretionis oculo caligante alterutrum sibi preripere loca: terminos occupare. Porro caliginis due sunt cause. Ira & mollior affectus. Is iudicij censuram eneruat: illa precipitat. Quo enim ab altero non periclitetur, aut pietas clementie: aut zeli rectitudo. Turbatus preter ira oculus clementer nil intuet: suffusus fluxa quadam & muliebri mollitie animi rectum non videt. Non eris innocens, si aut punias eum cui forte parcendum esset: aut parcas ei qui fuerat puniendus. In lib. 4. de confide. Impunitas ausum parit: ausus excessum. In libro. 3. de confide. Impunitas incurie soboles, insolentie mater, radix impudentie, transgressionum nutritrix.

¶ Cap. XXVI. De diuersis generibus ambientium.

In lib. 4. de considera, ad Eugenium papam

Sunt que necessario a nobis rogantium: aut extorquet impunitas, aut necessitas meretur. Alius pro alio: alius forte & pro se rogat. Pro quo rogaris sit suspectus. Qui ipse rogat pro se, iam iudicatus est. Nec interest per se, an per alium quis roget.

Clericū curiam frequentantem qui nō sit de curia, ad idem noris
 pertinere ambientū genus, Adulantem & ad placitum cuiusq; lo-
 quentem vnū de rogantibus puta etiam si nihil rogauerit. Scorpi-
 oni nō est in facie quod formides: sed pungit a cauda. Si ad talisū
 blanditias cor tuū vt affolet molliri senseris: memineris scriptum.
 Omnis homo primū bonū vinū ponit: cum aut inebriati fuerint
 tunc illud quod deterius est. Pari pondere aestimaueris eius humi-
 litatem qui timet: & eius qui sperat. Viri callidi & dolosi esse pro-
 prium solet, tunc p̄tendere humilitatem: cum aliquid obtinere vo-
 luerit. De qualibet dicit scriptura. Est qui se humiliat nequiter: &
 interiora eius plena sunt dolo. De vobis s̄plis sumo sententię hu-
 ius etidens exemplū. Quantos quos supplices admisisti, postmo-
 dum sustinuisisti graues: insolentes: contumaces: rebelles. Quod
 quidem interius malū tegunt p̄ncipia: posteriora produunt. Ver-
 bosulū adolescentem, & studentem eloquentię cū sapientię sit in-
 anis: nō aliud q̄ iusticię hostem reputes. Et hāc veluti generalem
 tibi constituas regulā: vt omnem qui palam veretur dicere / quod
 in aure locutus est: suspectū habeas. Qd̄ si te iudicante dicendum
 coram ille renuerit: delatorem iudices nō accusatorem.

¶ Cap. XXVII. De peruersitate quorundam p̄-
 latorum. Super cantica sermone. lxxvij.

Non omnes sunt amici sponsi: quos hodie sponsę hinc in
 de assistere cernis, & qui vt vulgo aiūt eam quasi addex-
 trare vident. Pauci admodū sunt qui non quę sua sunt
 querant: ex omnibus caris eius. Diligunt munera: nec possunt pa-
 riter diligere Christū: quia manus dederunt mammonę. Intuere
 quomodo incedunt nitidi & ornatī: circūamicti varietatibus tan-
 q̄ sponsa p̄cedens de thalamo suo. Nonne si quempiā talium re-
 pente eminus procedentem aspexeris sponsam potius putabis q̄
 sponsę custodem? Vnde vero hanc illis exuberare existimas rerū
 affluentia / vestitū splendorem / mensarū luxuriam / congeriem vas-
 forum argenteorū & aureorū. nisi de bonis sponsę? Inde est q̄ il-
 la pauper & inops & nuda relinquit facie miseranda / inculta hi-
 spida / exanguis. Propter hoc nō est hoc tempore ornare sponsam
 sed spoliare. non est custodire sed perdere. nō est instruere sed pro-
 stituere. nō est pascere gregem sed mactare & deuorare. dicente de

illis domino. Qui deuorant plebem meā vt cibum panis. Et in alio propheta. Peccata populi mei comedent. Quasi dicat. Peccatorum precia exigunt: & peccantibus debitā sollicitudinem nō impendunt. Quem dabis mihi de numero p̄positorum: qui nō plus vigilet subditorum euacuandis marsupijs q̄ vicijs extirpandis: Vbi q̄ orando flectit iram: qui p̄dicet annū placibilem domino. Leuiora loquimur. grauiora grauius manet iudiciū. O vtinā tam vigilēs reperirentur ad curā: q̄ alacres currunt ad cathedrā. Vigilarent vtique solcite seruantes sponsam sibi creditā. Immo verō euigilarent pro semetipsis. Parū est nostris vigilibus q̄ nō seruant nos. nisi & perdant. Alto quippe dimeri obliuionis somno: ad nullū dominicę cōminationis tonitruū expergiscunt: vt vel suum ipsorū periculum expauescant. Inde est q̄ non parcant suis qui non parcant sibi: perimētes pariter & pereuntes.

¶ Cap. XXVIII. De p̄latis qui vsurpant sibi p̄lacionem. De sermone ad clericos cap. xxvi.

VE vobis qui clauem tollitis. non scientię solū: sed & auctoritatis. nec ipsi introitis: & multipliciter impeditis q̄s introducere debuistis. Tollitis enim nō accipitis clauēs. de quibus dominus querit per prophetā. Ipsi regnauerunt & nō ex me. principes extiterunt & ego nō vocaui eos. Vnde & tantus p̄lacionis ardor. vnde ambitionis impudentia tanta. vnde tanta vania p̄sumptionis humanę: Audeat ne aliquis nostrū terreni cuiuslibet reguli non p̄cipiente aut etiam p̄hibente eo occupare ministeria: p̄ripere beneficia: negocia dispensare: Nec tu deum putes que in magna domo sua a vasis irę aptis in interitū sustinet approbare. Multi quidem veniunt: sed considera quis vocet. vbi supra cap. 29. Vtinā tamen quisquis sic intrat: si fieri posset tam fideliter ministraret: q̄ fiducialiter se ingessit. At difficile fortassis & impossibile est: vt ex amara radice ambitionis: suavis fructus ardeat caritatis. Ibidem cap. 26. Ve ministris infidelibus: qui nec dū reconciliati: reconciliationis alienę negocia quasi homines qui iusticiam fecerint apprehendunt. Ve filijs irę. qui se ministros gratiæ profitent. Ve filijs irę. qui pacificorū sibi vsurpare gradus & nomina non verent. Ve filijs irę. qui fideles sese mediatores pacis vt peccata populi comedant mentiuunt. L

Liber

carne: deo placere nō possunt: & placere velle p̄sumunt. vbi su p̄.
cap. xxvij. Non miramur fratres quicumq; p̄sentem statū e celestiae
miseramur: nō miramur si vindemiant vineā domini qui institu-
tam a domino p̄tergrediū viam. Nihil enim illi de spiritu mansue-
tudinis: quo p̄ occupatos in delicto possit instruere considerans se
ipsum: ne & ipse tentetur. Compunctionis lacrimas nesciens: læ-
tatur magis cū malefecerit: & in rebus pessimis exultat. Pecuniā
nō iusticiā gliscit. oculi eius omne sublime vident. insatiabiliter estu-
rit dignitates. gloriā sitit humanā. Procul ab eo miscēd' iae viscera.
sequere potius & tyrannū exhibere letat. quēstū estimat pietatem.

¶ Cap. XXIX. Q. persecutio discernit mercenna-
rios a pastoribus. vbi supra cap. xxx.

VTinam hodie quicumq; pastores nō sunt mercenarios
se gregi vellent exhibere. nō lupos. Utinam ipsi nō læde-
rent. vtinā non fugerent nemine p̄sequente: vtinam nō
exponerent gregem donec lopus veniens videret. Nimirū susti-
nendi fuerant si inuenirent p̄sertim tempe pacis recipientes mer-
cedem suā: & pro mercede saltem in custodia gregis laborantes.
dummodo non ipsi turbarent gregem: & gratis auerterent a pa-
scuis iusticię & veritatis. Nam persecutio quidem indubitanter
mercenarios a pastoribus segregat & discernit. Quando em̄ trans-
itoria damna nō timeat: qui temporalia lucra sectatur: quando
terrenā sustineat p̄secutionem p̄pter iusticiā. qui magis terrenam
mercedem q̄ iusticiā quærit: Vsq; adeo si quidem p̄secutionem
nō sustinent p̄pter iusticiā vt p̄secutionem malint q̄ iusticiā su-
stinere. Nempe contraria est operibus eorū: grauis est eis etiā ad
audiendū. Cæterū propter auariciā / p̄pter ambitionem paratos
videas vniuersa pericula subire: suscitare scandala / sustinere odia /
dissimulare opprobria: negligere maledicta. Non est q̄ fures ti-
meant veri pastores qui in cælo thesaurizant. Nō est q̄ causent
de multiplici tribulatione: vbi multiplicationem mercedis atten-
dunt. Quinimo gaudeant magis vt dignū est q̄ non tam p̄secutio
q̄ remuneratio augeat. & exultent eo abundantius quo plura su-
stinent p̄pter Christum: vt eos proinde copiosior merces maneat
apud ipsum. Quid timidi estis modicę fidei: Fidelis extat sententiā
irrefragabili veritate subnixā. quā nulla nocebit aduersitas: si nul-

la domine iniquitas. Sed parum est non nocere, etiam pderit & copiosius pderit dummodo iusticia sit in intentione, Christus in causa, apud quem patientia pauperū nō peribit in finem.

¶ Cap. XXX. De iudicio platoꝝ. De colloquio symonis & Iesu.

IN dero gerens iniqua: quid ni de ministerio iudicet. Coeleste tenet officium: angelus domini exercituum factus est tanquam angelus aut eligitur aut reprobatur. Inuenta quippe in angelis prauitas districtius iudicet necesse est: & inexorabilius quam humana. Age ergo, quam iudicium graue his qui presunt, & potentes potenter tormenta patient. Ascendat superbia tua semper, sequere regem tuum. omne sublime videant oculi tui. festina multiplicare prebendas: in de ad archidiaconatus euola. Demum aspira ad episcopatum: ne ibi quidem requiem habiturus, quam sic itur ad astra. Quo progredieris miser? An ut ab altiore gradu sit casus grauior? Neque enim sic paulatim decides: sed tanquam fulgur in impetu uehementi quasi alter saethanas subito deijceris.

¶ Explicit liber tercius.

¶ Incipiunt capitula libri Quarti.

De infinita ambitōe clericorū.	i.	De periculo clericorū.	xij
De promotione iuuenum ad ecclesiasticas dignitates.	ij	De perueritate quorundam clericorum ac religiosorum	xij
De clericis qui puerfo ordine que runt ecclesiastica beneficia.	ij	De intempantia monachorū.	xij
De clericis qui male deseruiunt ea quæ de ecclesijs habent	ij	De delicatis cibus monachorū.	xv
De clericis qui male expendunt redditus ecclesie.	v	De nimio potu.	xvi
¶ Clerici nullius sunt ordinis	vi	De precioso habitu.	xvij
De impudentia clericorū.	vij	De superbis religiosi	xvij
De insolentia clericorū.	vij	De negligentia abbatum.	xix
Quomodo a singulis gñibus que delectat vsurpant clerici.	ix	De ornamentis monasteriorū.	xx
De abominatōe clericorū	x	De sculpturis & picturis que fiunt in monasterijs.	xxi
Admonitio ad ipsos ut se corrigant.	xi	De aduocatis.	xxij
		De appellationibus.	xxij
		De vsurpatōe appellationū.	xxij

¶ Explicit cap. lib. quarti

¶ Incipit liber Quartus.

¶ Cap. I. De infinita ambitione clericorū. In prima parte epistolarum, ad Henricū Senonenē episcopū.

L ij